

possit, hoc est adhuc tardior ad te molestia liberandum; familiares vero eius, et ii quidem, qui illi iucundissimi sunt, mirabiliter de te et loquuntur et sentiunt; accedit eodem vulgi voluntas vel potius consensus omnium. Etiam illa, quae minimum nunc quidem potest, sed possit necessest, res publica, quascumque vires habebit, ab iis ipsis, a quibus tenetur, de te propediem, mihi crede, impetrabit. Redeo igitur ad id, ut iam tibi etiam pollicear aliquid, quod primo omiseram. Nam et complectar eius familiarissimos, qui me admodum diligunt multumque mecum sunt, et in ipsius consuetudinem, quam adhuc meus pudor mihi clausit, insinuabo et certe omnis vias persequar, quibus putabo ad id, quod volumus, perveniri posse. In hoc toto genere plura faciam quam scribere audeo. Cetera, quae tibi a multis prompta esse certo scio, a me sunt paratissima. Nihil in re familiari mea est, quod ego meum malim esse quam tuum. Hac de re et de hoc genere toto hoc scribo parcius, quod te id, quod ipse confido, sperare malo, te esse usurum tuis. Extremum illud est, ut te orem et obsecrem, animo ut maximo sis nec ea solum memineris, quae ab aliis magnis viris accepisti, sed illa etiam, quae ipse ingenio studioque peperisti. Quae si colliges, et sperabis omnia optima et, quae accident, qualiacumque erunt, sapienter feres. Sed haec tu melius vel optime omnium; ego, quae pertinere ad te intellegam, studiosissime omnia diligentissimeque curabo tuorumque tristissimo meo tempore meritorum erga me memoriam conservabo.

mente > o <duramente >. — *voluntas*, < il sentimento >. — *possit*, assoluto, nel senso di < aver potenza >. Cic. sogna il ritorno della libertà! — *de te impetrabit*, < otterrà la grazia per te >.

6. *insinuabo*, intransitivo = *me insinuabo*. — *ad id quod volumus*, < al nostro scopo >. Perciò *vias*, benchè possa tradursi letteralmente conservando la metafora, equivale, per il concetto, al nostro < mezzi >. — *in hoc etc.*, < in tutto ciò >, < in tutto questo affare >. — *prompta*, < offerti > (cioè < gli aiuti >), *cetera* = < gli altri aiuti >), *paratissima*, < più che pronti >. — *nihil etc.* Si tratta dunque di aiuti finanziari.

7. *accepisti*, < apprendesti >. S'intende che i *magni viri* sono i filosofi. — *peperisti*, < ti creasti >, < ti foggiaisti >. — *Quae si = et si ea* (o *quod si ea*). — *melius*, cioè *nosti*.

LVI (IV, 7).

Scr. Romae post Id. Sext. a. 708-46.

M. Cicero S. D. M. Marcello.

Etsi eo te adhuc consilio usum intellego, ut id reprehendere non audeam, non quin ab eo ipse dissentiam, sed quod ea te sapientia esse iudicem, ut meum consilium non anteponam tuo, tamen et amicitiae nostrae vetustas et tua summa erga me benevolentia, quae mihi iam a pueritia tua cognita est, me hortata est, ut ea scriberem ad te, quae et salutis tuae conducere arbitrarer et non aliena esse ducerem a dignitate. Ego eum te esse, qui horum malorum initia multo ante videris, consulatum magnificentissime atque optime gesseris, praeclare memini; sed idem etiam illa vidi, neque te consilium civilis belli ita gerendi nec copias Cn. Pompei nec genus exercitus probare semperque summe diffidere; qua in sententia me

Lettera LVI (IV, 7). — *M. Marcello*, v. Notizia III. — Marcello era di famiglia plebea, ma dicevasi discendente dal vincitore di Siracusa. Dopo Farsalo egli stava in esilio volontario a Mitilene (nell'isola di Lesbo). Ottenuto il perdono di Cesare si accingeva a tornare in patria; ma fu ucciso, prima di partire, da P. Magio Cilone.

1. *Etsi... intellego etc.* Il periodo è composto così: *Etsi intellego*, protasi; *tamen... hortata est*, apodosi. Ora, siccome l'uno e l'altro membro sono molto complessi (*eo consilio ut, non quin... sed quod, ea sapientia ut*; e similmente l'apodosi) sarà opportuno sostituire la coordinazione alla subordinazione, considerando che ogni nesso concessivo (subordinato) equivale a un nesso avversativo (coordinato); cioè: < benchè io sappia... tuttavia l'affetto mi consiglia > equivale a: < so bene... ma l'affetto mi consiglia >. — *non quin = non quod (quò) non*, < non già perchè io non >. — *hortata est*, stile epistolare. — *ea scriberem*, < a scriverti tali suggerimenti > o anche, avverbialmente, < in tal modo >. — *conducere*, < giovare >.

2. *eum te esse qui*, noi diciamo semplicemente < tu >. — *praeclare* < benissimo >. — *idem etiam*, non basterebbe *idem*; perchè Cic. ha voluto dire prima, che < egli > oltre al *meminisse, vidit* (*idem* aggiunge un predicato nuovo a uno stesso soggetto), e poi che, fra altre cose, < vide > *etiam illa*. In italiano o si omette la traduzione di *idem*, o, in questo caso, si traduce letteralmente: < io medesimo >. — *ita gerendi*, cioè senza essere ancora (i Pompeiani) ben preparati. Cfr. CAES., *de bello civ.* I, 2. — *copias... genus exercitus*. Sebbene *copiae* abbia anche qui il solito significato di < truppe >, dal

quoque fuisse memoria tenere te arbitror. Itaque neque tu multum interfuisti rebus gerendis, et ego id semper egi, ne interesset; non enim iis rebus pugnabamus, quibus valere poteramus, consilio, auctoritate, causa, quae erant in nobis superiora, sed lacertis et viribus, quibus pares non eramus. Victi sumus igitur aut, si vinci dignitas non potest, fracti certe et abiecti. In quo tuum consilium nemo potest non maxime laudare, quod cum spe vincendi simul abiecisti certandi etiam cupiditatem ostendistisque sapientem et bonum civem initia belli
 3 civilis invitum suscipere, extrema libenter non persequi. Qui non idem consilium quod tu secuti sunt, eos video in duo genera esse distractos; aut enim renovare bellum conati sunt, ii qui se in Africam contulerunt, aut quem ad modum nos victori sese crediderunt. Medium quoddam tuum consilium fuit, qui hoc fortasse humilis animi duceres, illud pertinacis. Fateor a plerisque, vel dicam ab omnibus sapiens, tuum consilium, a multis etiam magni ac fortis animi iudicatum; sed habet ista ratio, ut mihi quidem videtur, quendam modum, praesertim cum nihil tibi deesse arbitrer ad tuas fortunas omnis obtinendas praeter voluntatem. Sic enim intellexi, nihil aliud esse, quod dubitationem adferret ei, penes quem est potestas, nisi quod vereretur, ne tu illud beneficium omnino non putares. De quo quid sentiam, nihil attinet dicere, cum appareat, ipse quid

riscontro con *genus exercitus* si vede quale sia il vero valore della parola (conforme, del resto, alla sua etimologia): « effettivo di guerra », « forze »; *genus ex.* si riferisce alla « qualità » o « condizione » di quelle truppe, che erano le due legioni, che già combattevano sotto Cesare. — *id... egi, ne, feci... di tutto per non*. — *eis rebus*, « con quei mezzi ». — *valere*, « vincere ». — *causa*, « bontà della causa ». — *lacertis et viribus*, endiadi, « con la forza materiale ». E letteralmente? — *fracti*, « spezzati », *abiecti*, « avviliti ». — *initia*, « sul principio »; e *belli civilis* diventa oggetto. — *extrema*, « sulla fine ». — *non persequi*, « ci rinunzia ».

3. *genera*, « gruppi ». — *distractos*, « divisi » (*esse d.*, « si son divisi »). — *duceres*, « reputavi »; congiuntivo, perchè *qui* = *cum tu*. — *vel dicam*, « anzi ». Non potrebbe usarsi qui *immo*, perchè si tratta di gradazione, non di opposizione. — *ratio*, « maniera di comportarsi ». — *quemdam modum*, letteralmente: « un certo limite »; oppure « certi limiti ». Noi diciamo anche: « i suoi limiti ». — *penes quem etc.*, evita di nominare Cesare. — *quod vereretur*, « il temere » o anche « il timore ». — *ipse etc.* Cic. si era riconciliato con Cesare.

fecerim. Sed tamen, si iam ita constituisses, ut abesse perpetuo mallet quam ea, quae nolles, videre, tamen id cogitare deberes, ubicumque esses, te fore in eius ipsius, quem fugeres, potestate. Qui si facile passurus esset te carentem patria et fortunis tuis quiete et libere vivere, cogitandum tibi tamen esset, Romaene et domi tuae, cuicumodi res esset, an Mytilenis aut Rhodi mallet vivere. Sed, cum ita late pateat eius potestas, quem veremur, ut terrarum orbem complexa sit, nonne mavis sine periculo tuae domi esse quam cum periculo alienae? Equidem, etiamsi oppetenda mors esset, domi atque in patria mallet quam in externis atque alienis locis. Hoc idem omnes, qui te diligunt, sentiunt; quorum est magna pro tuis maximis clarissimisque virtutibus multitudo. Habemus etiam
 5 rationem rei familiaris tuae, quam dissupari nolumus. Nam, etsi nullam potest accipere iniuriam, quae futura perpetua sit, propterea quod neque is, qui tenet rem publicam, patietur neque ipsa res publica, tamen impetum praedonum in tuas fortunas fieri nolo; ii autem qui essent, auderem scribere, nisi te intellegere confiderem.

Hic te unius sollicitudines, unius etiam multae et assiduae
 6 lacrimae, C. Marcelli, fratris optimi, deprecantur. Nos cura et dolore proximi sumus, precibus tardiores, quod ius adeundi, cum ipsi deprecatione eguerimus, non habemus; gratia tantum possumus quantum victi; sed tamen consilio, studio Marcello non desumus. A tuis reliquis non adhibemur; ad omnia parati sumus.

4. *si... constituisses*. Con questo modo irreali Cic. non vien proprio a dire che Marcello non aveva stabilito di abesse perpetuo; egli vuol dire: « se per caso (come per altro non voglio credere) tu avessi stabilito... ». — *ea... videre*, cioè il reggimento personale di Cesare. — *quem fugeres*, « che avresti (operando in tal modo) fuggito ». — *si facile pass. es. te*, « se anche fosse disposto a permetterti di... ». — *alienae, cioè domi*. — *mallet, cioè mortem oppetere*. — *hoc idem sentiunt*, « questo è pure il sentimento di... ».

5. *iniuriam*, « danno ». — *hi autem etc.*, non sappiamo a chi alluda.

6. *Hic*, « a questo punto ». — *C. Marcelli*, v. Notizia. — *ius adeundi*, noi diremmo: « l'ammissione alle udienze ». Tutti i cittadini ragguardevoli avevano il diritto di esser ricevuti dai personaggi più illustri (il ricevimento aveva luogo la mattina, per la *salutatio*). Cesare, divenuto solo signore dello stato, restrinse a pochi quel diritto. — *consilio studio* (ablativi), asindeto. — *a tuis reliquis*, allude ai parenti di Marcello, che di lui non si occupavano affatto.

LVII (XIII, 52).

Ser. circ. med. m. Sept. a. 708-46.

Cicero Regi Sal.

A. Licinius Aristoteles Melitensis antiquissimus est hospes meus et praeterea coniunctus magno usu familiaritatis. Haec cum ita sint, non dubito, quin tibi satis commendatus sit; etenim ex multis cognosco meam commendationem plurimum apud te valere. Hunc ego a Caesare liberavi; frequens enim fuerat nobiscum, atque etiam diutius in causa est quam nos commoratus; quo melius te de eo existimaturum arbitror; fac igitur, mi Rex, ut intellegat has sibi litteras plurimum profuisse.

LVIII (XIII, 68).

Ser. Romae circ. med. mense Septembri a. 708-46.

M. Tullius Cicero P. Servilio Isaurico Procos. Collegae Sal. Plurimam.

Gratae mihi vehementer tuae litterae fuerunt, ex quibus cognovi cursus navigationum tuarum; significabas enim memoriam tuam nostrae necessitudinis, qua mihi nihil poterat esse iucundius. Quod reliquum est, multo etiam erit gratius,

Lettera LVII (XIII, 52). — *Regi*, cioè *Marcio*, a noi ignoto. *magno usu etc.*, traduci come se dicesse: *magna familiaritate*. — *liberavi*, perchè a quanto pare era partigiano di Pompeo. — *in causa*, cioè *Pompeii*. — *quo melius = et eo melius*. Anche *Rex* era dunque un pompeiano.

Lettera LVIII (XIII, 68). — *P. Servilio Isaurico*, ora proconsole dell'Asia, fu già collega di Cicerone nell'augurato (a. 53). Il *cognomen* di Isaurico gli veniva da suo padre P. Servilio Vazia che nel 75 a. C. aveva soggiogato gli Isauri (popolo di pirati nella Cilicia), distruggendo la città di Isaura. Dalle ultime parole di questa lettera si rileva che il vecchio Servilio viveva ancora.

1. *qua etc.*, « che fu per me la cosa più cara ». — *Quod reliquum est*,

si ad me de re publica, id est de statu provinciae, de institutis tuis, familiariter scribes. Quae quamquam ex multis pro tua claritate audiam, tamen libentissime ex tuis litteris cognoscam. Ego ad te, de re publica summa quid sentiam, non saepe scribam propter periculum eiusmodi litterarum; quid agatur autem, scribam saepius. Sperare tamen videor Caesari, collegae nostro, fore curae et esse, ut habeamus aliquam rem publicam, cuius consiliis magni referebat te interesse; sed, si tibi utilius est, id est gloriosius, Asiae praeesse et istam partem rei publicae male affectam tueri, mihi quoque idem, quod tibi et laudi tuae profuturum est, optatius debet esse. Ego, quae ad tuam dignitatem pertinere arbitrabor, summo studio diligentiaque curabo, in primisque tuebor omni observantia clarissimum virum, patrem tuum, quod et pro vetustate necessitudinis et pro beneficiis vestris et pro dignitate ipsius facere debeo.

LIX (VI, 6).

Ser. Romae circ. K. Oct. a. 708-46.

M. Cicero S. D. A. Caecinae.

Vereor, ne desideres officium meum, quod tibi pro nostra et meritorum multorum et studiorum parium coniunctione

< del resto >. — *institutis*, « idee ». — *pro tua claritate*, « atteso il tuo nome illustre ». — *libentissime cognoscam*, si può tradurre alla lettera, oppure: « avrò gran piacere di saperlo ».

2. *de r. p. summa*, « del governo ». — *collegae*, anche Cesare era augure. — *habeamus al. r. p.*, cfr. le locuzioni *si aliqua res publica est, res publica nulla est*. — *male affectam*, « in cattive condizioni ».

Lettera LIX (VI, 6). — *A. Caecinae*. Era di Volterra. Fu difeso da Cicerone in una causa civile (a. 69 o 68 a. C.). Fu scrittore erudito. Nella guerra civile parteggiò per Pompeo, e scrisse un libello diffamatorio contro Cesare. Dopo la vittoria cesariana visse in esilio in Sicilia, e cercò il perdono di Cesare col *Querelarum liber*, scritto in lode di lui. Dopo la morte del dittatore, tornò a Roma. Tra gli scritti di Cecina era importante quello sulla *divinazione Etrusca* (ossia sulla *haruspicina*) a cui si accenna in questa lettera.

1. *desideres*, « tu senta la privazione », o meglio, qui, « tu aspetti ». — *officium*, « una prova della mia amicizia ». — *quod = at id*; ma puoi tra-

deesse non debet; sed tamen vereor, ne litterarum a me officium requiras. Quas tibi et iam pridem et saepe misissem, nisi cotidie melius exspectans, gratulationem quam confirmationem animi tui complecti litteris maluissem. Nunc, ut spero, brevi gratulabimur: itaque in aliud tempus id argumentum
 2 epistolae differo. His autem litteris animum tuum, quem minime imbecillum esse et audio et spero, etsi non sapientissimi, at amicissimi hominis auctoritate confirmandum etiam atque etiam puto, nec iis quidem verbis, quibus te consoler ut afflictum et iam omni spe salutis orbatum, sed ut eum, de cuius incolumitate non plus dubitem, quam te memini dubitare de mea. Nam, cum me ex re publica expulissent ei, qui illam cadere posse stante me non putabant, memini me ex multis hospitibus, qui ad me ex Asia, in qua tu eras, venerant, audire te de glorioso et celeri reditu meo confirmare. Si te ratio quaedam Etruscae disciplinae, quam a patre,
 3 nobilissimo atque optimo viro, acceperas, non fefellit, ne nos

durre « che, del resto ». La parentesi è una limitazione del concetto precedente: « date le nostre relazioni, non è possibile che, così in generale, tu creda eh'io manchi ai miei doveri d'amico ». — *litterarum officium*, ai doveri d'amico in generale, dunque, Cic. non manca; bensì manca al dovere specifico di « scrivere ». — *quas*, fa' un nuovo periodo e traduci come se fosse *eas*: « Io te l'avrei scritta » o « ti avrei scritto » (senza pronome). — *melius = meliora*. — *complecti litt.*, « che la mia lettera contenesse ». — *id argumentum ep.*, « una lettera su tale argomento ».

2. *hominis*, si riferisce a Cicerone stesso. Traduci *at per* « almeno ». — *nec eis quidem verbis etc.* L'atteggiamento del pensiero nella nostra lingua è affatto diverso: « ma non (*nec*) con quelle parole di consolazione che si usano con un uomo..., bensì con quelle che si usano con uno... ». Letteralmente: *eis verbis quibus (= eis verbis ut eis)*: « con tali parole da ». Poi, a *sed ut eum*, intendi: *sed eis verbis quibus te consoler ut eum*. — *ad afflictum*, « totalmente rovinato », « finito ». — *ex re publica*, « dalla patria ». — *ei*, allude a Clodio e ai suoi partigiani. — *qui... non putabant*, è un'espressione assai forte per indicare che i suoi avversari erano, in realtà, nemici della patria. — *in qua*, « dove ». — *confirmare*, « affermare » (traducilo come transitivo).

3. *ratio quaedam*, « una certa conoscenza ». Qui allude alla divinazione, di cui Cic. trattò in una delle opere filosofiche, intitolata appunto *De Divinatione*. Dall'Etruria erano venuti a Roma gli *haruspices*, che si occupavano in modo speciale anche dell'interpretazione dei *prodigia*. Cecina stesso aveva, nel suo scritto, diviso i fulmini in *monitoria, postulatoria, pestifera, salacia, ostentanea, peremptalia, adtestata, adterranea, obruta, regalia, in-*

quidem nostra divinatio falleret, quam cum sapientissimorum virorum monitis atque praeceptis plurimoque, ut tu scis, doctrinae studio, tum magno etiam usu tractandae rei publicae magnaue nostrorum temporum varietate consecuti sumus; cui quidem divinationi hoc plus confidimus, quod ea nos
 4 nihil in his tam obscuris rebus tamque perturbatis unquam omnino fefellit. Dicerem, quae ante futura dixissem, ni vererem, ne ex eventis fingere viderem; sed tamen plurimi sunt testes me et initio, ne coniungeret se cum Caesare, monuisse Pompeium et postea, ne seiungeret: coniunctione frangi senatus opes, diiunctione civile bellum excitari videbam, atque utebar familiarissime Caesare, Pompeium faciebam plurimi, sed erat meum consilium cum fidele Pompeio, tum salutare utriusque. Quae praeterea providerim, praetereo; nolo enim
 5 hunc de me optime meritum existimare ea me suasisse Pompeio, quibus ille si paruisset, esset hic quidem clarus in toga et princeps, sed tantas opes, quantas nunc habet, non haberet: eundem in Hispaniam censui. Quod si fecisset, civile bellum nullum omnino fuisset. Rationem haberi absentis non tam

ferna, hospitalia, auxiliaria. — *nostra divinatio*, qui la parola *divinatio* non ha il senso strettamente tecnico, ma quello di « presentimento » o, meglio, « chiaroveggenza ». Traducendo così, si ha il vantaggio di usare, anche in italiano, una parola, che ha pure un significato tecnico, in un senso traslato. — *doctrinae studio*, « con gli studi scientifici ». — *usu etc.*, « pratica della vita pubblica ». — *temporum varietate*, « varietà de' miei casi ».

4. *hoc plus... quod*, « tanto più... che ». — *nihil... unquam omnino*, « non... assolutamente mai », o « neppure una volta ». — *quae... dixissem*, « quali fossero le mie predizioni ». — *fingere*, « inventare ». Meglio però tradurre tutta la frase *ni vererem ne viderem etc.*: « se non temessi che potessero apparire inventate ». — *ne coniungeret etc.* Cfr. *Philipp.*, II, 23: *Utinam, Pompei, cum Caesare societatem aut nunquam coisses, aut nunquam diremisses!* — *frangi*, traduci con l'attivo: « abbatteva »; così *excitari*, « conduceva alla... » (prop. « faceva scoppiare »).

5. *hunc*, cioè Cesare. E perchè dice: *de me optime meritum?* — *quibus etc.* « che se (Pompeo) li avesse seguiti » (cioè « i miei consigli », cfr. *ea me suasisse*). — *hic*, Cesare. — *clarus in toga*, « un illustre cittadino... ». — *eundem*, altre volte Cic. manifestò il pensiero contrario. P. es. cfr. *ad Att.*, V, 11, 3: *id* (cioè l'andata in Spagna) *ego minime probabam*. — *nullum... fuisset*, « non sarebbe... scoppiata ». — *Rationem etc.* Allude alle elezioni del 52 (cfr. Notizia) e alla legge di Pompeo *de iure magistratuum*. Prima, però, Cic. era stato contrario alle candidature di « assenti »; solo quando il tribuno M. Celio propose di fare eccezione per Cesare e per Pompeo stesso, Cicerone diventò

pugnavi ut liceret, quam ut, quoniam ipso consule pugnante populus iusserat, haberetur. Causa orta belli est. Quid ego praetermisi aut monitorum aut querelarum, cum vel iniquissimam pacem iustissimo bello anteferrem? Victa est auctoritas mea, non tam a Pompeio (nam is movebatur), quam ab iis, qui, duce Pompeio freti, peropportunam et rebus domesticis et cupiditatibus suis illius belli victoriam fore putabant. Susceptum bellum est quiescente me, depulsum ex Italia manente me, quoad potui; sed valuit apud me plus pudor meus quam timor: veritus sum deesse Pompei salutem, cum ille aliquando non defuisset meae. Itaque vel officio vel fama bonorum vel pudore victus, ut in fabulis Amphiarus, sic ego « prudens et sciens ad pestem ante oculos positam » sum profectus. Quo in bello nihil adversi accidit non praedicente me. Quare, quoniam, ut augures et astrologi solent, ego quoque augur publicus ex meis superioribus praedictis consti-

favorevole. — *ipso... pugnante*, « non ostante la opposizione del... ». — *iusserat*, « aveva decretato ». — *vel*, « anche ».

6. *Victa*, « respinto », *auctoritas*, « consiglio ». — *movebatur*, « ci si lasciava indurre ». — *rebus domesticis*, « per rifare le loro finanze ». Cfr. ad Att. IX, 11, 4, dove accenna ai nomi di Scipione, suocero di Pompeo, di Fausto Silla e di Libone: *quorum creditores convenire dicuntur*. Anche il console Lentulo (CAES., *bell. civ.*, I, 4, 2) era di questi. — *quiescente me*, « e io me ne stetti quieto ». — *depulsum*, si riferisce a *bellum*, e allude alla partenza di Pompeo da Brindisi (v. Notizia). — *manente me*, « e io rimasi », intendi: in Italia. — *pudor*, « sentimento d'onore ». — *veritus sum*, « non mi bastò l'animo ». — *aliquando*, cioè nel richiamo dall'esilio. — *fama bonorum*, « dal pensiero della mia riputazione presso i patrioti ». — *ut in fabulis Amph.*, « come sulla scena Anfirao »; o anche: « come l'Anfiraio della leggenda ». Anfiraio, dotato di spirito profetico (l'esempio è citato a proposito della *divinatio*), non voleva seguire Polinice alla guerra contro Tebe, perchè sapeva che vi sarebbe morto. Perciò si nascose. Ma Erifile, sua moglie, sedotta dal dono della collana d'oro di Armonia fattole da Polinice, rivelò il suo nascondiglio. L'eroe, costretto, partì; e durante la battaglia un fulmine di Zeus lo sprofondò nella terra. È da notare che nella tragedia di Eschilo « I sette a Tebe », Anfiraio (secondo quello che riferisce il *nunzio*) dichiara « empia » quella guerra, mossa da Polinice contro la patria (v. 550 sgg., cfr. 597 sg., ediz. Weil, Lipsia). Può darsi dunque che Cic. pensasse anche alla « empietà » della guerra civile (cfr. anche ORAZIO, *Epodo* 16°). *Amphiarus* s'intitolava una tragedia di Accio, poeta latino vissuto dal 170 all'89 circa a. C. — *pestem*, « rovina », *ante oc. pos.*, « manifesta ». — *non praedicente me*, « senza che io lo predicessi ».

7. *augur publicus*, appartenente cioè al *collegium augurum*, composto di nove membri dal 300 a. C. fino a Silla, poi di quindici. I magistrati soli

tui apud te auctoritatem augurii et divinationis meae, debet habere fidem nostra praedictio. Non igitur ex alitis involatu nec e cantu sinistro oscinis, ut in nostra disciplina est, nec ex tripudiis solistimis aut soniviis tibi auguror, sed habeo alia signa, quae observem; quae etsi non sunt certiora illis, minus tamen habent vel obscuritatis vel erroris. Notantur autem mihi ad divinandum signa duplici quadam via; quarum alteram duco e Caesare ipso, alteram e temporum civilium natura atque ratione. In Caesare haec sunt: mitis clemensque natura, qualis exprimitur praeclaro illo libro « Querelarum » tuarum: accedit, quod mirifice ingeniis excellentibus, quale est tuum, delectatur; praeterea cedit multorum iustis et officio incensis, non inanibus aut ambitiosis, voluntatibus; in quo vehementer eum consentiens Etruria movebit. Cur haec igitur adhuc parum profecerunt? Quia non putat se sustinere causas posse multorum, si tibi, cui iustius videtur irasci posse, concesserit. « Quae est igitur », inquires, « spes ab irato? » Eodem fonte se haustum intellegit laudes suas, e quo sit leviter aspersus. Postremo homo valde est acutus et multum providens: intellegit te, hominem in parte Italiae minime

avevano il diritto di consultare il collegio (*auspicia habere*). Quando l'auspicio è favorevole, gli auguri *nuntiant*, altrimenti *obnuntiant*. — *praedictis = praedictionibus*. — *alitis etc.* *Alites*, come termine tecnico augurale, vale per indicare gli uccelli che danno l'auspicio col volo, *oscines* quelli che lo danno col canto. — *sinistro*. L'augurio buono, tanto per i greci quanto per i romani, viene da oriente; se non che i romani si volgevano a *sud*, e avevano perciò l'oriente a sinistra, i greci a nord e lo avevano perciò a destra. Cfr. *De div.*, II, 39, 82: *nobis sinistra videntur, Graiis et barbaris dextra meliora*. — *tripudiis etc.* *De div.*, II, 72: *cum offa cecidit ex ore pulli, tum auspicianti tripudium solistimum nuntiatur*. Ivi Cic. deriva *tripudium* da *terripudium*, questo da *terripavium*, e questo da *terram pavire*. Quanto a *solistimum* (meglio sarebbe *sollistimum*) è il superlativo di *sollus* = « intero ». Quando il *tripudium* produceva rumore, si diceva *sonivium*; ed era questo il migliore augurio. È impossibile tradurre queste espressioni strettamente tecniche. — *erroris*, « incertezza ».

8. *notantur*, è pure un termine della *disciplina augurum*: « son da me osservati », ossia: « ottengo ». — *Querelarum*, v. prima nota. — *delectatur*, « gli piacciono ». E il soggetto? — *quale est tuum*, noi diciamo: « come te ». — *consentiens Etruria*, « l'accordo dell'Etruria (tua patria, nell'intercedere per te) ».

9. *sustinere causas*, « tener fermo nel caso (di molti) ». — *leviter aspersus*,

contemnenda facile omnium nobilissimum et in communi re publica cuius sumorum tuae aetatis vel ingenio vel gratia vel fama populi Romani parem, non posse prohiberi re publica diutius; nolet hoc temporis potius esse aliquando beneficium quam iam suum. Dixi de Caesare; nunc dicam de temporum rerumque natura. Nemo est tam inimicus ei causae, quam Pompeius animatus melius quam paratus susceperat, qui nos malos civis dicere aut homines improbos audeat; in quo admirari soleo gravitatem et iustitiam et sapientiam Caesaris: numquam nisi honorificentissime Pompeium appellat. « At in eius persona multa fecit asperius ». Armorum ista et victoriae sunt facta, non Caesaris. At nos quemadmodum est complexus! Cassium sibi legavit; Brutum Galliae praefecit, Sulpicium Graeciae; Marcellum, cui maxime suscensebat, cum
 11 summa illius dignitate restituit. Quo igitur haec spectant? Rerum hoc natura et civilium temporum non patietur, nec manens nec mutata ratio feret, primum ut non in causa pari eadem sit et condicio et fortuna omnium, deinde ut in eam civitatem boni viri et boni cives nulla ignominia notati non revertantur, in quam tot nefariorum scelerum condemnati
 12 reverterunt. Habes augurium meum, quo, si quid addubi-

Cic. attenua l'offesa fatta da Cecina a Cesare. Perché? — *facile*, « senza dubbio », « senza contrasto ». — *fama*, « buon nome ». — *populi*, « presso il popolo » (cfr. § 7). — *prohiberi*, « esser tenuto lontano ». — *iam*, « subito ».

10. *rerum*, « degli avvenimenti ». — *animatus melius*, « con migliore intenzione ». Analogamente *paratus*: « preparazione ». — *in quo*, « e in questo ». — *soleo*, traduci con un avverbio. — *numquam nisi = semper*. — *appellat*, « tratta » (s'intende: « con parole »). — *persona*, contrapposto ad *appellat*; tradurrai *in eius pers. fecit*: « nel fatto, personalmente, lo trattò in modo assai aspro ». Allude alla confisca del suo palazzo etc. — *facta*, « opera ». — *At nos*, « ma me » (contro il quale non aveva motivi così forti come contro Pompeo). — *Cassium*, prese poi parte alla congiura. Così Bruto; nel 46 ebbe come proconsole la Cisalpina. Sulpicio, cfr. Lettera XLI, Marcellino, cfr. Lett. LVI.

11. *hoc*, spiegato poi da *ut non etc.*, *in causa pari*, « eguale essendo il caso ». — *non revertantur*, « non possano ritornare ». — *condemnati*, per la legge *de ambitu* (broglio elettorale) promulgata da Pompeo nel suo terzo consolato del 52 a. C. Quanto a *nefariorum scelerum* è genitivo della colpa.

12. *Habes*, « ecçoti » o « questo è ». — *quo*, farai un nuovo periodo: « Se

tarem, non potius uterer quam illa consolatione, qua facile fortem virum sustentarem: te, si explorata victoria arma sumpsisses pro re publica (ita enim tum putabas), non nimis esse laudandum, sin propter incertos exitus eventusque bellorum posse accidere, ut vinceremur, putasses, non debere te ad secundam fortunam bene paratum fuisse, adversam ferre nullo modo posse. Disputarem etiam, quanto solacio tibi conscientia tui facti, quantae delectationi in rebus adversis litterae esse deberent; commemorarem non solum veterum, sed horum etiam recentium vel ducum vel comitum tuorum gravissimos casus; etiam externos multos claros viros nominarem; levat enim dolorem communis quasi legis et humanae condicionis recordatio; exponerem etiam, quemadmodum hic et quanta
 13 in turba quantaque in confusione rerum omnium viveremus; necesse est enim minore desiderio perdita re publica carere quam bona. Sed hoc genere nihil opus est: incolumem te cito, ut spero, vel potius, ut perspicio, videbimus. Interea tibi absenti et huic, qui adest, imagini animi et corporis tui, constantissimo atque optimo filio tuo, studium officium, operam laborem meum iam pridem et pollicitus sum et detuli, nunc hoc amplius, quod me amicissime cotidie magis Caesar amplectitur, familiares quidem eius, sicuti neminem. Apud quem quidquid valebo vel auctoritate vel gratia, valebo tibi; tu cura, ut cum firmitudine te animi, tum etiam spe optima sustententes.

io appena ne dubitassi, non lo (*quo*) preferirei (*potius uterer*). — *illa cons.*, cioè quella spiegata poi con *te, si explorata etc.* — *explorata* « certa » o « con la certezza della... ». — *esse*, riduci al discorso diretto: *esses laudandus*. — *debere (= deberes)* regge le due infinitive *paratum fuisse* e *posse (adversam ferre)*. — *ferre... posse*, « essere incapace di sopportare ». — *litterae*, « gli studi ». — *veterum*, p. es. Coriolano e Camillo; *recentium*, Pompeo e Catone; *externos*, Temistocle e Aristide.

13. *rerum omnium*, traduci con l'agg. « generale ». — *necesse est*, con un avverbio. — *minore etc.*, noi diciamo: « è minore il rimpianto quando si è perduta (*carere*) una patria rovinata (*perdita*) che etc. ». Tradurrai *bona*, « in buone condizioni ». — *genere*, cioè *consolationis*. — *perspicio*, « son sicuro ». — *qui adest*, « presente », — *imagini*, « vero ritratto ». — *animi, corporis*, con due aggettivi. — *constantissimo*, « caratterè fermo ». — *detuli* « offrii » (cioè « col fatto », non solo promisi a parole). — *tibi*, « per te ».

LX (VI, 14).

Scr. Romae a. d. V K. intercal. priores a. 708-46.

Cicero Ligario.

- 1 Me scito omnem meum laborem, omnem operam, curam, studium in tua salute consumere. Nam cum te semper maxime dilexi, tum fratrum tuorum, quos aequae atque te summa benevolentia sum complexus, singularis pietas amorque fraternus nullum me patitur officii erga te studiique munus aut tempus praetermittere. Sed, quae faciam fecerimque pro te, ex illorum te litteris quam ex meis malo cognoscere; quid autem sperem aut confidam et exploratum habeam de salute tua, id tibi a me declarari volo. Nam, si quisquam est timidus in magnis periculisque rebus semperque magis adversos rerum exitus metuens quam sperans secundos, is ego sum et,
- 2 si hoc vitium est, eo me non carere confiteor. Ego idem tamen, cum a. d. V. Kal. intercalares priores rogatu fratrum

Lettera LX (VI, 14). — *Ligario*. Q. Ligario fu legato di C. Considio Longo, propretore in Africa (a. 50). Quando questo uscì di carica, Ligario rimase a governare interinalmente la provincia. Il senato nominò, come successore di Considio, L. Elio Tuberone; ma intanto, scoppiata la guerra civile (a. 49), P. Attio Varo aveva preso possesso dell'Africa in nome di Pompeo, e Tuberone fu, da lui e da Ligario, impedito di entrare nel territorio. Alla battaglia di Tapso, Ligario fu fatto prigioniero; indi bandito. Tutti i tentativi per ottenergli grazia da Cesare furono vani; finchè, avendogli Q. Tuberone, figlio di Lucio, intentato un processo per avere impedito a suo padre di prender possesso della provincia, Ligario, difeso strenuamente da Cic. (*Orat. pro Ligario*), ottenne l'assoluzione e la grazia. Partecipò poi alla congiura contro Cesare. Morì probabilmente nelle proscrizioni di Antonio e di Ottaviano. L'orazione di Cic. è del 23 settembre a. 46 (= 26 novembre del calendario non riformato).

1. *quos... sum complexus*, « per i quali ebbi... ». — *munus*, « prova ». — *cognoscere*, « sappia ». — *si quisquam etc.* Usa *quisquam* perchè il contenuto generale è negativo = *nemo est tam timidus quam ego etc.* Dirai: « se c'è uno... ». — *metuens... sperans*, coordina con *est*; « e che tema... (più che non) spero... ».

2. *intercalares*, v. Notizie antiquarie. L'anno 46 ebbe in realtà tre mesi intercalari, cioè il solito *Mercedonius* dopo il 24 febbraio, e due mesi intercalari tra novembre e dicembre. Quanto alla riforma di papa Gregorio XIII,

tuorum venissem mane ad Caesarem atque omnem adeundi et conveniendi illius indignitatem et molestiam pertulissem, cum fratres et propinqui tui iacerent ad pedes et ego essem locutus, quae causa, quae tuum tempus postulabat, non solum ex oratione Caesaris, quae sane mollis et liberalis fuit, sed etiam ex oculis et vultu, ex multis praeterea signis, quae facilius perspicere potui quam scribere, hac opinione discessi, ut mihi tua salus dubia non esset. Quam ob rem fac animo magno fortique sis et, si turbidissima sapienter ferebas, tranquilliora laete feras. Ego tamen tuis rebus sic adero ut difficillimis, neque Caesari solum, sed etiam amicis eius omnibus, quos mihi amicissimos esse cognovi, pro te, sicut adhuc feci, libentissime supplicabo. Vale.

LXI (IX, 23).

Scr. in Cumanum m. interc. poster. a. 708-46.

Cicero Paeto.

Heri veni in Cumanum; cras ad te fortasse, sed, cum certum sciam, faciam te paulo ante certiore; etsi M. Caeparius, cum mihi in silva Gallinaria obviam venisset quae-sissemque, quid ageres, dixit te in lecto esse, quod ex

essa non fu accettata dagli scismatici (o ortodossi). — *venissem*. Racconta qui uno dei tentativi fatti da lui e dai parenti di Ligario per ottenere la grazia di Cesare; il tentativo, come gli altri, non riuscì, ma pare ci fosse di che bene sperare. — *indignitatem et molestiam*, « l'umiliazione e la noia ». — *quae*, accus. plurale. — *tempus*, « circostanze ». — *mollis*, « gentile », o « affettuoso », *liberalis*, « cortese ». — *quam scribere*, in latino è retto da *potui* che, questa seconda volta, è usato secondo lo stile epistolare; noi dovremmo dire: « di quel che non possa ».

3. *tuis rebus* = *tuis temporibus* (cfr. sopra, *tempus* § 2). — *ut difficillimis* = *quippe quae difficillimae sint*. — *libentissime*, « sarò felice di... », seguito dall'infinito.

Lettera LXI (IX, 23). — *Paeto*. L. Papirio Peto, amico ignoto di Cicero; probabilmente uomo colto, spiritoso, seguace di Epicuro. — *ad te*, cioè *veniam*. — *certum sciam*, ordinariamente (fuor dello stile familiare) *certo scio, pro certo habeo*. — *Caeparius*, nominato solo qui, e affatto ignoto. — *Silva Gallinaria*, una pineta in Campania, popolata di *gallinae rusticae*.

pedibus laborares. Tuli scilicet moleste, ut debui, sed tamen constitui ad te venire, ut et viderem te et viserem et coenarem etiam; non enim arbitror cocum etiam te arthriticum habere. Exspecta igitur hospitem cum minime edacem, tum inimicum coenis sumptuosus.

LXII (XIII, 20).

Ser. Romae a. 708-46.

Cicero Servio Sal.

Asclapone Patrensi, medico, utor familiariter eiusque cum consuetudo mihi iucunda fuit, tum ars etiam, quam sum expertus in valetudine meorum; in qua mihi cum ipsa scientia, tum etiam fidelitate benevolentiaque satisfacit. Hunc igitur tibi commendo et a te peto, ut des operam, ut intellegat diligenter me scripsisse de sese meamque commendationem usui magno sibi fuisse: erit id mihi vehementer gratum.

LXIII (XIII, 24).

Ser. Romae a. 708-46.

Cicero Servio Sal.

1 Cum antea capiebam ex officio meo voluptatem, quod memineram, quam tibi diligenter Lysonem, hospitem et familiarem meum, commendassem, tum vero, posteaquam ex litteris eius cognovi tibi eum falso suspectum fuisse, vehemen-

— *ex pedibus laborares*, « hai la gotta ». — *arthriticum*. Si chiama *arthriticus* chi soffre di « chiragra » o « artrite » (alle mani). Lo scherzo sente di epicureismo.

Lettera LXII (XIII, 20). — *Servio*, Ser. Sulpicio Rufo. — *Asclapone*, aveva curato Tirone a Patrasso. Cfr. Lett. XVII. — *meorum*, si riferisce a Tirone (plurale per il singolare). — *diligenter*, « con impegno ». — *usui*, traduci con un aggettivo concordato con *commendationem*. — *vehementer gratum*, « un gran piacere ».

Lettera LXIII (XIII, 24).

1. *Lysonem*, era di Patrasso, e fu seguace di Pompeo. Mentre egli stava in Roma, Cic. lo raccomandò a Servio Sulpicio Rufo (proconsole dell'Acacia)

tissime laetatus sum me tam diligentem in eo commendando fuisse. Ita enim scripsit ad me, sibi meam commendationem maximo adiumento fuisse, quod ad te delatum diceret sese contra dignitatem tuam Romae de te loqui solitum esse. De 2 quo etsi pro tua facilitate et humanitate purgatum se tibi scribit esse, tamen primum, ut debeo, tibi maximas gratias ago, cum tantum litterae meae potuerunt, ut iis lectis omnem offensionem suspicionis, quam habueras de Lysonem, deponeres, deinde credas mihi affirmanti velim me hoc non pro Lysonem magis quam pro omnibus scribere, hominem esse neminem, qui unquam mentionem tui sine tua summa laude fecerit; Lyso vero, cum mecum prope cotidie esset unaque viveret, non solum, quia libenter me audire arbitrabatur, sed quia libentius ipse loquebatur, omnia mihi tua et facta et dicta laudabat. Quapropter, etsi a te ita tractatur, ut iam non de- 3 sideret commendationem meam unisque se litteris meis omnia consecutum putet, tamen a te peto in maiorem modum, ut eum etiam atque etiam tuis officiis, liberalitate complectare. Scriberem ad te, qualis vir esset, ut superioribus litteris feceram, nisi eum iam per se ipsum tibi satis notum esse arbitrarem.

LXIV (XIII, 25).

Ser. Romae a. 708-46.

Cicero Servio Sal.

Hagesaretus Larisaeus, magnis meis beneficiis ornatus in consulatu meo, memor et gratus fuit meque postea diligen-

perchè tutelasse gli interessi di lui. — *delatum diceret*, propriamente non dovrebbe essere usato nel congiuntivo il verbo *dicere*, che indica una azione, non un pensiero, di Lisone; ma la frase *delatum diceret* = *delatum esset* (ut is dicebat).

2. *pro tua*, « attesa la tua ». — *purgatum se esse*, « esser riuscito a scolararsi ». — *cum... potuerunt* = *quod pot.* — *offensionem suspicionis* = *suspicionem*. — *mihi affirmanti* (participio congiunto), « alla mia affermazione ».

3. *non desideret*, « non ha bisogno ». — *iam* « più ». — *in maiorem modum*, spesso anche *maiorem in modum*, « caldamente ».

Lettera LXIV (XIII, 25). — *Hagesaretus Larisaeus*, altrimenti ignoto. *Larisaeus*, cioè di Larissa, città della Tessaglia. — *diligentissime coluit*,